

perfunduntur, ut supernatet duobus tribusve digitis. haec ubi triduo macerata fuerint, eodem vase coquuntur, donec demadescant; postea exprimuntur capita omnisque aquae percolatae prius diligenter mensuratur capitur, ad cuius modum mellis Attici quarta pars miscetur; deinde per
 5 duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. hoc medicamentum et ad arteriae tumorem et ad tussim facit.

LXXIII. Altera arteriace ad fluorem et raucitatem arteriae. item ex ea ad tussim et abscisum sonum vocis. tragacanthi X p. VI, commis Alexandrinae X p. VI, myrrhae X p. I, thuris X p. II, croci X p. I, piperis
 10 albi grana XX, caryotarum recentium trium pulpas medias detracta exteriori cute interioribusque venis vel uvae passae novae et incorruptae purgatis interioribus granis X p. VIII. commi et tragacanthum passo Cretico uno die et una nocte macerari oportet et postero die pila et pilo mundo contundere et cetera trita mortario curiose admiscere, inde dare fabae
 15 magnitudine globulum sub lingua tenere devorantem quod liquefactum fuerit. hoc medicamentum pipere detracto et ad tumorem arteriae facit, servandum autem puxide buxea.

LXXV. Arteriace, qua melior non est, refertur autem ad Asclepiaden nostrum, facit ad omnia superius dicta efficacius et quicquid in arteria
 20 vitii est. constat ex his: myrrhae optima pinguis X p. XXIII, tragacanthi candidi X p. XXXVIII, glycyrrizae radice X p. XVIII, resinae terebinthinae verae X p. XVIII. tragacanthum sicut est contundere et